



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 29. De Indulgentijs ab Apostolica Sede concessis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

254 DE BONO SODAL. PARTH.
salutatione apud communem Domi-
nam ac Matrem meminisse non gra-
ueris.

C A P V T XXIX.

*De Indulgentiis ab Apostolica Sede
Sodalitati concessis.*

NEminem later in ærarium commu-
ne matris Ecclesiæ relatos infini-
tos Christi Domini meritorum ac satisf-
actionum thesauros, qui nulla unquã
liberalitate poterunt exhauriri: immen-
sas deinde Deiparæ Virginis, Sanctorũ-
que, quibus minimè opus habebant,
cùm nihil haberent expiandum, satisfa-
ctionum gazas. quas, vti eas appellat S.
Ambrosius, immortalitatis diuitias dis-
pensandi atque erogandi potestas au-
ctoritasque omnis penes est Rom. Pon-
tificem, quem sui gregis supremum ac
communem Pastorem Christus Domi-
nus instituit. Hac potestate perquam li-
beraliter vsus Gregorius XIII. sanctæ
memoriæ Pontifex opt. max. amplissi-
mas

mas Deiparæ Sodalitati largitus est Indulgentias, quarum elenchus mox subiicietur. Actametsi extremo hîc commemorentur loco, tamen inter bona atque emolumenta Sodalitatis eminent, & principem propè locum obtinent. quãto illæ in pretio sint habendæ, utcumq; potest intelligi ex ijs quæ proximè commemorata sunt, tum de summo diuinæ iustitiæ rigore in repositendis ad extremum vnguem & quadrantem peccatorum pœnis, si quæ in altera vita supererunt exsoluendæ: tum de pœnarû ignis purgatorij, quarum ne vmbra quidem vllus huius vitæ cruciatus præferre potest, acerbitate grauissima, quam nulla ratione patientes ipsi releuare ac mitigare poterunt. quas pœnas qui volet effugere, vti omnes velle debemus, vt ad Deum certè conspiciendum ac fruendû citiùs perducamur, colligendis hîc communi opera atque industria sacris Indulgentijs elaborare debet: sunt enim Indulgentiæ illius pœnæ, quæ remissâ culpâ superest exsoluenda, virtute clauium, quas Saluator Vicario suo concredidit, attributa

buta relaxatio. viuentibus adhuc, & in Ecclesia versantibus per modum absolutionis tacitæ cuiusdam velut interlocutoria sententiæ, sine fori strepitu lata: defunctis verò, qui iurisdictionis Ecclesiæ limites excesserunt, per modum suffragij, seu applicati pretij satisfactionis æquiualentis proportione quadam respondens ei pœnæ, quæ condonatur. Plenaria Indulgentia, vti vox indicat, totius omnino pœnæ relaxatio est: ac tamen si nonnumquam vberioris cuiusdam explicationis causa distinguantur plenaria, plenior, plenissima; vobum tamē magis ea est, quàm rerum distinctio. Quemadmodum & adiecta Iubilei nota, magis certum tempus designat, annexamq; à quibusdam reseruatissimis criminibus absoluedi potestatem, quàm pleniorē pœnæ condonationem indicat. Etenim cum tota pœna condonatur, nihil eius superest condonandū. Quo quis die primū in Sodalitatem recipitur, & quo die moritur, ex hacque in terris peregrinate ad alteram in cælis regnantem Sodalitatem emigrat; die item festo Natalis, &

Ascen-

Ascensionis Domini, Annuntiationis, Assumptionis, Natiuitatis, & Cōceptionis immaculatæ Virginis, præmissâ confessione, & Eucharistiâ perceptâ, Parthenius Sodalis plenariam consequitur Indulgentiam. Ad eius autē diei festi Diuæ Matris, cuius titulum præfert Sodalitas, ceteri quoque fideles vtriusque sexus, beneficio & merito Sodalitatis, eius inquam diei ad Indulgentiâ plenariam admittuntur. Anni vnus Indulgētia cōpluribus pietatis officijs, quæ ex instituto & legibus Sodalitatis obeuntur, adscripta est. Hæc verò earum est pœnarū, quæ prudenti & districto confessarij iudicio pro quibusuis peccatis annuatim iniungi possent ac deberent, seu anni vnus pœnitentiarum, quas æquus ac prudens confessarius imponeret. cui annuæ iniunctæ pœnitentiæ, quæ pars pœnarum Purgatorij æqua mensura respondeat, quis omnino habeat exploratum, aut verosimili coniectura consequatur? Nec verò huius loci est & propositi Indulgentiarum naturam & condiciones omnes explicare, id scholarum Theologica-

gica-

258 DE BONO SODAL. PARTH.
gicarum est negotij. Indulgentias stationum Urbis per Quadragesimam, & alia tempora, quibus obeuntur in Vrbe stationes, assequuntur quoque Sodales, qui Societatis ecclesiam eo fine visitarint, & septies orationem Dominicam, Angelicamque salutationem recitarint. Quòd maximè interfit quemque Sodallem nosse, id est, neminem sibi lucrifacere posse Indulgentias, qui non existat in diuina gratia & amicitia, qui conscientiam grauiore culpa lethali sauciatam habeat. Nam qui eius est culpæ reus, hostis est Dei capitalis, obnoxius æternæ flammæ, mancipium cacodæmonis, qui pretiosum Christi sanguinem pollutum ducat, ostentui habeat, & pedibus proculcet, qui filium Dei in se denuò crucifigat. quare omni indulgentia, liberalitate ac munificentia diuina longè est indignissimus. Non enim est æquum, ut ei pœna indulgeatur vlla, qui sua sponte hæret in culpa; pretium diuini cruoris sumat, qui tam fœdè eum proculcat, qui Christo sola fide cohæret, velut viti palmes externo cortice, nō interna charitatis

tis vita ac medulla, nec vllum gratiæ succum ex radice trahere potest. Alter ita-
men lucrifacere aut potius deferre po-
test Indulgentiam, cui innocenti alterius
culpa ac peruersa voluntas detrimento
esse nõ debet, quando id ei Pontifex in-
dulget. Requiritur ad Indulgentiam æ-
qua & respondens causa, cùm Summus
Pontifex Ecclesiæ thesauri minimè do-
minus, sed dispensator, & fidelis existat
œconomus, nec pro sua, sed Domini e-
rogare debeat volũtate, ex iusta & com-
mensurata causa. Verũ eam causam in
Sodalitatis Indulgentijs minimè deesse
conficitur, non inde modò quòd ea de-
bet apud nos auctoritas esse Summi Põ-
tificis, quam in dubium reuocare non
liceat, eiusque iudicium longè semper
hominis cuiusque priuati anteferẽdum
iudicio: verũ & ex eo capite, quòd a-
pertissimum sit, quanti referat in Eccle-
sia Deiparæ Virginis cultum in dies au-
geri, eiusque amplificari honorem &
pictatem: cùm nullum ferè hoc in Dei-
param Virginem affectu certius oppor-
tuniusque ad salutem præsidium habea-
mus.

mus. Tum verò iuuentutis toto terrarū orbe in Societatis gymnasijs, in virtute & pietate simul vnà cum litteris instituendæ ratio ; gratissima est iustissimaque causa plurimi semper habita, plurimismunienda atque exornanda priuilegijs. Ac mihi Pontifices ipsos tam benignos munificosque in Virginem Matrem religiosa pietas atque obseruantia reddidisse videtur, huiusque ipsius optimæ Matris singularis ac diuinus instinctus ad eam illos permouisse liberalitatem. Sicut olim cùm B. Franciscus à Christo Domino plenariam petijt atque obtinuit Indulgentiam ijs omnibus, qui peccata confessi Beatissimæ Virginis Angelorum de Portiuncula visitassent ecclesiam ; illicò Beatissimam Virginem, quæ ad Saluatoris filij dexteram affidebat, supplex inuocauit, eaque mediatrice potissimum, atq; adiutrice singulare id cælestis Indulgentiæ donum beneficiumque obtinuit : ita nobis harum Indulgentiarum, quæ Pontificia sunt auctoritate concessæ, velut origo & radix est habenda ipsa Beatæ Matris ad-

uer-

uersus cultores suos clementia & indulgentia. Nulla quidem in Indulgentiis prætermittendis, vbi contemptus omnino abest, grauior culpa suscipitur; nulla enim lege ad eas lucrificiendas astringimur; est tamen haud leuis ea suæ salutis incuria, grauis segnities, & minimè ferendus torpor, cùm ad pietatis opera tam amplo quæstu propolito, tamque munifica Pontificum liberalitate non excitamur. Quanto non modò prudentiores, verùm & vigilantiores attentioresque sunt filij sæculi huius, filii lucis: qua illi cura, diligentia, opera maturè æs omne alienum dissoluere satagunt! quàm gratis excipiunt animis si quæ illis debitorum syngraphæ remittantur! nec vllam vinqvam vllius in eo genere creditoris respuunt liberalitatem. Quòd si nostra minimè causa laboramus, quos tamen huius negligentiaè seriùs aliquando pœnitebit; at animarum in purgatorijs pœnis versantiũ. quæ per eas indulgentias releuari & eximi possunt, habenda est ratio, & deijs benemerendi tam prompta & facilis occasio

præ-

*In Exerc.
& examine
conscien-
tia.*

prætermitti non debet. Sanè B. P. Ignatius, cuius adscribam verba, censet ad iussa Superiorum reduci diplomata seu indulta Pontificum pro infidelium expugnatione vel Christianorum pace concedi atque promulgari solita, per quæ ad confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sanctæ sumptionem Christi fideles inuitantur. Peccat siquidem non leuiter, quicumque tam pias Rectorum Ecclesiæ cohortationes sanctionesque aspernari audet ac transgredi. Quam B. Patris auctoritatem atque sententiam ad has quoque Pontificias Sodalitatis Indulgentias transferri posse crediderim.

LIBER